I.

DE AQUIS DESTILLATIS.

AQUA CEPHALICA FRIGIDA, SEU BILEM alterans.

℞ *Aquæ Lactucæ*
Nymphææ
Oxalidis
Roſarum ana partes æquales,
Miſce.

¶ Vſus huius aquæ eſt in Phrenitide, in cephalalgia bilioſa, in mania, in febre ardente, & in omnibus morbis calidis, acres & bilioſos vapores ad cerebrum mittentibus. Doſis eſt ℥ij cum ℥j ß ſyrupi de roſis ſiccis. NOTA. Quòd omnes aquæ ſimplices, quarum in hoc tractatu fit mentio, ſint deſtillatæ in balneo Mariæ.

AQUA CEPHALICA CALIda, seu pituitam alterans.

℞ *Aquæ Betonicæ*
Fœniculi
Maioranæ
Saluiæ ana partes æquales, Misce.

¶ Præparat ad subsequentem euacuationem materiam phlegmaticam, quæ apoplexiæ, paralyseos, epilepsiæ, cõuulsionis & aliorum frigidorum cerebri atque neruorum affectuum caussa esse solet. Dosis est ℥ jij. cum syrupi de Stœchade compositi ℥ j ß.

AQUA CEPHALICA MElancholica.

℞ *Radicis polypodii quercini mundi* ℥ vj
Bugloſſæ
Borraginis ana ℥ j ß
Herb. Epithymi
Caſſutæ
Meliſſæ ana M j ß
Maioranæ M ß

Semin.

Semin. quatuor frigidorum maiorum excorticatorum ana ʒ j
Aniſi
Fœniculi ana ℈ iiij
Pœoniæ excorticat. ʒ j
Flor. Borraginis
Bugloſſæ
Roſarum
Violarum ana M j
Betonicæ M ß
Stœchad. Arabic. ʒ ß
Anthos ʒ ij
Macis ʒ ß
Nucis muſchatæ ʒ iij
Pulueriz anda pulueriz entur ſubtiliſſimè, reliqua verò incidantur & contundantur, & infundantur in
Aquæ Roſarum
Nymphææ
Meliſſæ ana lib. j ß
Cichorij lib. ß
Vini Maluatici optimi lib. ij *& adde*
Mellis paſſularum ʒ iij

Syrupi de succo violarum ℥ ij
Croci orientalis ʒ ß

Misce, & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase singulis diebus aliquoties exagitato, deindè destillentur in organis vitreis igne lentißimo, mediante Balneo Mariæ.

¶ Apprimè utilis est in omnibus cerebri morbis melancholicis, qui tã per sympathiam hypochondriorum, quàm per idiopathiam existunt, spiritus animales foueñdo & illustrando falsas imaginationes corrigit, timorem atque mœstitiam absq; manifesta causa conceptam mitigat, lætitiamq; gignit & auget. Dosis est ℥ iij.

AQUA HYPNOTICA.

℞ *Seminis Lactucæ* ℥ vj
Papaueris albi lib. j ß
nigri lib. ß
Portulacæ ℥ ij.
quatuor frigidorum maior. excorticatorum ana ℥ ß.

Florum

Florum Nympheæ
Violarum ana M iij
Croci orientalis ℈ iiij
Macis ℥ ß
contundantur & incidantur & infundantur in
Aquæ Lactucæ lib. vj
Nympheæ
Rosarum ana lib. iij
Nucis muschatæ ℥ viij.
stent in loco calido in infusione per biduum, deindè destillentur igne lentissimo in Balneo Mariæ.

¶ Valet in omnibus diuturnis vigiliis, ac præsertim, quas ingens calor & siccitas febrium ardentium procreat. Est longe tutior huius aquæ usus, quàm aliarum somnorificarum, quas Opium, semen Hyoscyami, aut cordex radicis Mandragoræ ingreditur. Nam licet istæ citiùs, quàm illa somnum inducant; tamen non citra periculum grauioris mali eas propinare possumus, ob Opii, Hyoscyami, & Mandragoræ uenenosam, malignam, & nimis soporiferam

qualitatem. Dosis verò aquæ nostræ hypnoticæ est ℥ iiij vel per se vel hoc modo:

℞ Aq. Hypnoticæ lib. j
Seminis papaueris albi ℥ iij
Melonum excoct. ℥ j
Amygdalar. dulcium recent. excortic. ℥ ij

Misce, & fiat l. aut emulsio pro tribus vicibus: Huic, si æger dulcibus delectetur, addi potest Iuleb violarum, vel Manus Christi perlatæ ℥ j.

AQUA ANTEPILEPTICA Aurea.

℞ *Radicis Pœoniæ maris decrescente Luna & Sole in Piscibus lectæ*
Visci quercini recentis ana ℥ j
Diptamni albi ℥ iij
Ireos florentinæ ℥ ij
Bistortæ ℥ j ß
Seminis. Pœoniæ Luna decrescente let. & excortic. ℥ vj.
Cubebarum ℥ ß
Coriandri præpar. ℥ ij
Nucis muschatæ ℥ iij

Macis

Macis ℥ j ℔

Flor. Betonicæ

Lauendulæ ana M j

Stœchad. Arabicæ ℥ j

Conser. anthos

primulæ Veris ana ℥ ij

Puluerizandæ puluerizentur subtilissimè, & misceantur & infundantur in spiritus vini ex vino maluatico optimo destillati lib. vj & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidiè multoties commoto: deinde adde

Aquæ Lilij conuallij simplicis lib. iij

Flor. Tiliæ lib. j ℔

Ceraſor. Nigror. syluest. dulciũ lib. ℔

Rorismarini lib. ℔

Maioranæ

Saluiæ minoris

Chamedrios veræ ana ℥ iiij

Misce & destillentur igne lentissimo in Balneo Mariæ. Aquæ destillatæ adde

Magisterij perlarum ℥ ij

Tincturæ corallorum ℥ j.

Folior. Auri fini N. xx.

Argenti N. v.

Misce.

¶ Est aqua verè aurea. Præcauet enim ab Epilepsia, ab Apoplexia, à Paralysi, à Conuulsione, & ab aliis neruorum frigidis affectibus, si in omnibus quadris Lunæ, & in humida, & nebulosa aëris constitutione sumatur ℥ ß. Curat verò eosdem affectus, si in ipso paroxysmo exhibeatur ℥ j. Pueris sufficit tàm in præseruatione, quàm in curatione dimidia, uel etiam minor, pro ætatis ratione, dosis: nec iis simpliciter generosam hanc aquam usurpare conuenit, sed diluenda est æqua portione aquæ florum tiliæ, uel ceraſorum syluestrium nigrorum dulcium, addaturque saporis gratiâ nonnihil Syrupi Violarum.

AQUA SOPHORUM.

℞ *Rad. Costi amari candidi aromatici* ℥ j
Cyperi rotundi ℥ ij
Summit. Maioranæ
Florum Anthos
Betonicæ
Cordialium ana M. iij
Stœcha-

Stœchados arabicæ ℥vj
Semin. quatuor frigid. maior. excort. an. ℥vj
quatuor frigid. minor.
Erucæ ana ℥iij
Santal. albor.
citrinorum
rubrorum ana ℥ v
Myrobalanor. Bellericor.
Chebulor.
Indorum
Piperis longi
nigri
Caſtorei ana ℥ j
Baccarum Lauri excort. ℥ iij
Pulueriz anda pulueriz entur ſubtiliſſimè: Flores verò minutim incidantur, miſceantur, & infundantur in
Aquæ Liliÿ conuallÿ ſimplicis
Florum Tiliæ
Roriſmarini
Antepilepticæ aureæ ana ℥ j x
Vini Maluatici optimi lib. xj
ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, deindè deſtillentur igne lentiſſimo in Balneo Mariæ.

¶ Hæc aqua non immeritò Sophorũ aqua dicitur, cùm illorum, qui in liberalioribus ſtudiis verſantur, ingenium ob nimiã humiditatẽ & frigiditatẽ ſtupidũ acuat, & memoriam ob eandem excedentem qualitatem labilem, confortet, omnes ſenſus viuificet, ac ſtudioſos ad quaſuis diſciplinas capeſſendas habiliores reddat. Nec Epati infenſum eſt ſua caliditate & ſiccitate, cum plurima habeat ingredientia epatica frigida. Sumitur ℥j alternis, uel ternis, quaterniſvè diebus, pro maiori aut minori neceſſitate utentis.

AQUA VISUM CLArificans.

℞ *Radicum Aſari* ℥ j
Enulæ ℥ ij ß
Pimpinellæ ℥ ij
Chelidonij maioris ℥ iij
Valerianæ ℥ j ß
Herb. Agrimoniæ

Betoni-

Betonicæ
Chelidonij maioris
Pulegij
Rutæ
Saluiæ
Verbenæ ana M ß
Euphrasiæ M iij
Semin. Fœniculi ʒ ij
Liuistici
Anisi ana ʒ ß
Coriandri præparati ʒ ij
Sileris Montani
Apij ana ʒ j
Florum Sambuci
Rosar. rubrarum ana M ß
Baccarum Iuniperi ʒ j ß
Cinnamomi ʒ ij
Galangæ
Zinziberis
Piperis longi ana ʒ ß
Charyophyllor.
Cardamomi
Macis ana ʒ j
Schœnanth. ʒ ß

Puluerizanda puluerizentur ſubtiliſſimè, reliqua verò incidantur & contundantur, & infundantur in lib. vj. vini maluatici optimi, ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, deinde adde

Aquæ Chelidonij maioris
Fœniculi ana lib. j ß
Euphraſiæ lib. iij

Miſce, & deſtillentur igne lentiſſimo in Balneo Mariæ in organis vitreis.

¶ Oculorum aciem acuit, & materiam ſpiritus uiſiui præſertim ſenibus ſuppeditat, uel ineptam corrigit, atque cœcitatem incipientem prohibet. Sumitur ʒ j quotidiè jejuno uentriculo.

AQUA PECTORALIS frigida.

℞ *Radic. Glycyrrhizæ raſæ* ʒ j ß
Tuſſilaginis
Polypodij quercini mundi ana ʒ iij
Herb. Capillor. Veneris
Veronicæ ana M iij
Marrubij
Scabioſæ ana M j

Semin.

Semin. Maluæ arboreſcentis
Cytonior. ana ℥ vj
quatuor frigidorum maiorum excort. ana ℥ i ß
Papaueris albi ℥ iij
Portulacæ
Endiuiæ ana ℥ i
Flor. Violarum M ij
Borraginis
Nymphææ ana M j
Bugloſſæ
Roſarum ana M ß
Iuiubarum
Sebeſten ana N. xxj
Dactylorum pinguium enucliat. N. j x

Puluerizanda puluerizentur ſubtiliß. reliqua verò incidantur minutim, & miſceantur, & infundantur in

Aquæ Tuſſilaginis
Violarum ana lib. ij ß
Scabioſæ
Marrubij ana lib. j
Hyſſopi (ß
Veronicæ abſq; vino deſtillatæ ana lib.

additis Mellis passularum ℥ iij.
Syrupi de succo violarum ℥ v.
Misce, & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidiè aliquoties exagitato, deinde destillentur igne lentissimo, mediante Balneo Mariæ.

¶ Vtiliter propinatur in destillatione acri, in asperitate gutturis, in pleuritide, in hectica febri, in tussi ex causa calida oborta. Dosis est ℥ iij vel per se, vel cum ℥ ß Manus Christi perlatæ vel cum ℥ ß syrupi de succo Violarum, vel cum ℥ ß Sacchari candi albissimi.

AQUA PECTORALIS calida.

℞ *Radicis Enulæ* ℥ j ß
Polypodij quercini mundi
Pimpinellæ ana ℥ ß
Altheæ
Myrrhidis ana ℥ ß
Aristolochiæ rotund. ℥ iij

Pæoniæ

Pœoniæ masculi decrescente Luna in signo pisciumcollectæ
Ireos Illyric. ana ʒ ij ß
Zinziberis ʒ j
Asparagi
Apij ana ʒ ij
Herb. Capillor. Veneris
Hyssopi
Carduibenedicti
Veronicæ
Pulmonariæ maculosæ ana M iij
Semin. Fœnugræci
Seselios ana ʒ ij
anisi ʒ iij
quatuor frigid. maior. excort. ana ℈ iiij
Cartami ʒ iij ß
Lini ʒ ij
Florum Cordialium ana M ß
Ficuum pinguium recent. N. vij
Passularum maiorum enucleator. ℥ ij
Dactylor. pinguium enucleat. N. xij
Iuiubar.
Sebesten ana paria jx.
Succi glycyrrhizæ. s. q. aq. scordij dissoluti ʒ j

Pulueri-

Puluerizanda puluerizentur subtilißimè, reliqua verò incidantur & contundantur minutim & infundantur in

Aquæ Scabiosæ
Marrubij ana lib. iiij
Fœniculi
Betonicæ
Tußilaginis
Cardui Mariæ
Nicotianæ ana lib. j

Stent in infusione in loco calido per octiduum, vase aliquoties singulis diebus exagitato, deindè adde

Mellis passularum corinthia, lib. ß
Croci orientalis ʒ ß

Misce, & destillentur igne lentißimo in Balneo Mariæ.

¶ Pituitam crassam, lentam & viscosam in pulmonibus, uel in capacitate thoracis collectam attenuat, incidit, ac detergit, & ad eductionem per screatum facilem reddit: atque ideo utilis est Dyspnœæ, asthmati, Orthopnœæ, tussi chronicæ, & aliis pulmonum & thoracis affectibus frigidis, vomicasq; rumpit,

pit. Datur ℥ iij per se, vel etiam, si æger dulcibus delectetur, cum ℥ ß Sacchari candi rubri.

AQUA CONTRA Phthisin.

℞ *Conserua Rosarum recent. lib.* j
Specier. Electuar. resumptiui ℥ ij
Diapenidij ℥ vj
Diarhodon Abbatis
Diamargaritho frigid. Nicolai
ana ℥ ß
Trochis. de Terra sigillat. ℥ iij ß
Infundantur in
Aquæ Pectoral. frigid. lib. viij.
Prunellæ
Plantaginis
Borraginis
Tormentillæ ana lib. ß
Symphyt. maior. lib. j ß
Stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidiè aliquoties moto; deinde destillentur igne lentissimo in Balneo Mariæ per organa vitrea.

Aquæ

Aquæ deſtillatæ adde
Magiſterij perlarum ℥ j
Tincturæ corallor. ℥ ij

Miſce

¶ maximam habet efficaciam in curatione phthiſeos, quod facile animaduertet diligens & accuratiſſimus ingredientium examinator. Doſis eſt ℥ij vel per ſe, vel cum ℥ ß Syrupi de Roſis ſiccis.

AQUA CONTRA SPUtum ſanguinis.

℞ *Radic. Symphyti maior.* ℥ ij
Plantaginis ℥ ij
Tormentillæ ℥ vj
Pimpinellæ ℥ j
Herb. *Burſæ paſtoris*
Prunellæ
Polygoni
Conſolidæ mediæ
Saniculæ cũ radicibus ana M j ß
Flor. *Roſarum rubrarum* M j
Trochiſcor. de terra ſigillat. ℥ j

Pulue.

Puluerizanda puluerizentur subtilißimè: Herbæ verò & flores minutim incidantur & contundantur, & infundantur in

Aquæ Symphyti maior.

Plantaginis
Burſæ paſtoris ana lib. ij
Pectoralis frigidæ lib. j ß
Scabioſæ
Marrubÿ ana lib. ß
Oxymellis compoſiti ℥ iij

Miſce, & ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, vaſe quotidiè aliquoties moto; deinde deſtillentur in alembico vitreo mediante Balneo Mariæ igne lentißimo.

¶ Vtimur hac aqua in ſputo cruento, præmiſſa tamen reuulſione. Omnem enim ſanguinem qui vel per ἀλαπήδησιν, vel per ἀναστμωσιν vel per ῥῆξιν, vel per διάβρωσιν vaſorum in pulmones, aut in capacitatem thoracis ſe effundit, non tantùm ſiſtit, verùm etiam jam effuſum ac concretum tutò diſſoluit, & blandè ac leniter expurgat. Doſis eſt ℥ iij ß vel per ſe, vel cum ℥ ß Syrupi de ſymphyto Fernelij, vel cum ℥ ß Syrupi Myrtini compoſiti.

Aqua

AQUA CORDIALIS frigida.

℞ *Seminis mali citri* ℥ j
Acetosæ ℥ iij
Flor. Violar. M iiij
Rosarum M ij
Borraginis
Buglossæ ana M. iij
Incidantur & contundantur, & misceantur, & infundantur in
Aquæ Rosarum optim. lib. iiij
Borraginis lib. iij
Buglossæ
Nymphææ ana lib. j ß
Stent in infusione in loco calido per quatriduum, deindè adde
Succi granator. dulcium lib. j
de pomis acidis
de pomis dulcib. ana lib. ß
mali citri depurati ℥ viij
Limoniorum
Cytoniorum ana ℥ iiij
Croci orientalis pulverizati ℈ ß

Misce,

Misce, & destillentur igne lentissimo mediante Balneo Mariæ. Aquæ destillatæ adde

Aquæ Cinnamomi optimi ℥ ij.
Magisterij perlarum ʒ j
Tincturæ corallor. ʒ j ß

Misce.

¶ Suauiter recreat hæc aqua cor, in febribus ardentibus, uel in aliis morbis calidis exæstuans. Exhibemus pro una dosi ℥ iij ß vel per se, vel cum Syrupo de succo Violarum, vel de succo granatorum dulcium aut acidorum ℥ ß

AQUA CORDIALIS calida.

℞ *flauedinis corticum verorum mali citri* ℥ ß
Santali citrini ʒ j ß
Ligni aloës ʒ ß
Cinnamomi electi ℥ iij
Macis ℥ j
Caryophyllorum ʒ j ß
Semin. Ocymi Caryophyllati ʒ iij
Melissæ ʒ ß

Carda-

Cardamomi maioris
minoris ana ℈ iiij
Spicæ Indicæ ℈ j
Croci orientalis gr. xxiiij.

Puluerizentur subtilissimè & misceantur, & infundantur in vini maluatici optimi lib. vj. & stent in infusione in loco calido per sextiduum; deinde adde

Aquæ Rosarum optimæ lib. iiij
Rorismarini lib. j
Melissæ ℥ viiij
Lauendulæ ℥ iij

Misce, & destillentur in alembico vitreo, mediante Balneo Mariæ igne lentissimo, aquæ destillatæ adde

Magisterij perlarum ʒ ij

Misce.

¶ Opitulatur omnibus affectib. cordis frigidis, Lypothymiam & syncopen spiritus vitales recreando, fouendo & augendo, prohibet, cor exhilarat, atque uniuersum corpus viuidum reddit. Est conueniens medicina senum, imò etiã aliarum ætatum hominibus phlegmaticis tutò exhiberi potest. Datur ʒ j pro una

una vice, & quidem vel simpliciter, uel dissoluatur in ea una atq; altera rotula Manus Christi perlatæ. Si autem & in morbis calidis, ad præsentaneam virium corroborationem eam propinare volumus, necessariò commiscenda erit cum æqua portione aquæ cordialis frigidæ.

AQUA PESTILENTIALIS Andernaci.

℞ *Radic. Angelicæ*
Chamælei
Gentianæ
Tormentillæ
Zeduariæ
Boleti ceruini ana ℥ j
Santali Citrini
albi
rubei ana ℥ ß
Theriacæ Andromachi
Mithridatij optimi ana ℥ j ß
Camphoræ ℈ j
Puluerizentur subtilissimè, & infundantur in vini maluatici optimi, & vini Rhenani usti

usti ana ℥ j x & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidiè exagitato; deinde destillentur in organis vitreis in Balneo Mariæ igne lentissimo.

¶ Hanc aquam meis compositis lubens adjicere volui, quòd eam peste præsentissimum esse remedium sim expertus. Nam quibuscunque ante triennium Vlyssææ in peste admodum maligna propinauimus, Dei benedictione pristinæ sanitati restituti sunt. Modus autem utendi hic fuit:

℞ Aquæ huius pestilentialis ℥ j
Scordij
Carduibenedicti
Acetosæ
Rosarum ana ℥ ß
Syrupi acetositat. Limonior.
acetositat. citri ana ℥ ß
Aquæ Cinnamomi ℥ ij

Misce, & fiat potio, quam unica dosi ætate profectioribus, statim ab initio morbi tàm pèracuti (qui enim suo cõsilio, vel à phlebotomia, vel à purgatione curationem auspicati sunt, omnes

sine

sine discrimine, sequenti vel etiam eadem die, vitam cum morte commutarunt) ad sudoris prouocationem, ad malignæ qualitatis exstirpationem, & ad cordis corroborationem, per Magistrum sanitatis calidè exhiberi curaui; & si ex symptomatibus cognouerim, materiam pestilentialem haud radicitùs per sudorem euacuatam esse, altera die eandem potiunculam, æqua, vel pro diversa indicatione minori dosi ægro sanitatis Magister obtulit. Pueris dimidia major minorvè pro ætatis ratione dosis sufficit. Præseruationis gratiâ sumuntur guttæ quatuor jeiuno ventriculo, vel per se, vel cum similagine. Verùm de his plura, & totam curationem pestis, vide in tractatu nostro germanico de Peste impresso Hamburgi, Anno Christi 1596. Utor etiam hac aqua in aliis morbis, cum aquis appropriatis, ubi videlicet sudor eliciendus est. Nec enim tanta alteratione, ut ipsa theriaca, aut mithridatium eget in ventriculo; sed sua tenuitate in omnia

membrâ se insinuans quàm celerrimè, in actum à calore natiuo facilè deducitur, ac optatum finem consequitur. Andernacus hanc aquam per infusionem præparat; verùm ob maiorem efficaciam destillari eam malui. Addit etiam reliquis ingredientibus Moschi ℈ ß, qui licet cordi amicus sit; tamen cùm quamplurimæ fœminæ moschum vel gustu, vel olfactu percipientes suffocatione matricis corripiantur, studio illum omisi.

AQUA STOMACHALIS calida.

℞ *Radicum Galangæ* ℥ j
Zinziberis
calami aromatici veri ana ℥ iij
Enulæ
Acori veri ana ℥ ij
Summitat. Saluiæ minoris
Melissæ veræ ana M j ß
Absynthij pontici M iij
Seminis Anisi
Fœniculi ana ℥ vj

Grano-

Granorum paradysi
Cardamomi minoris
Piperis longi
nigri ana ʒ i.
Cinnamomi electi ʒ j
Caryophyllor.
Nucis muscat. ana ʒ ß
Ligni aloes ʒ iß
Conser. Rorismarini ʒ ß
Macis ʒ ij
Spicæ indicæ ʒ jß
Schœnanthi ʒ ijß

Puluerizanda puluerizentur subtilissimè, misceantur, & infundantur in vini maluatici optimi & vini usti Rhenani ana lib. vj. & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase benè clauso, & quotidiè aliquoties moto; deinde destillentur in Balneo Mariæ in organis vitreis igne lentissimo, in Aquam destillatã infunde Rhabarbari electi, & puluerizati, & in petia ligati ʒ ß, *& seruetur usui.*

¶ Ventriculum calefacit, pituitam in ventriculo collectam digerit, ac concoquit, nauseã, & vomitũ pituitosum sistit,

flatus discutit, acido medetur ructui, δυσπεψίαν, βραδυπεψίαν & ἀπεψίαν corrigit, & ventriculum officii sui ob frigiditatē & humiditatem immemorem ad proprias actiones reuocat.

AQUA CONTRA COlicam.

℞ *Calami aromatici veri* ℥ j
Galangæ ʒ iij
Flauedinis cort. exter. aurantiorum ℥ iiij
Cinnamomi electi ʒ vj
Seminis anisi
Fœniculi ana ʒ iij
Cymini ʒ vj
Baccarum Iuniperi recent. ℥ ß
Lauri ʒ iij

Puluerizentur subtilissimè, & infundantur in vini maluatici optimi lib. vj. *& stent in infusione in loco calido per sextiduum, deindè destillentur in Balneo Mariæ igne lentissimo.*

℈ Valet in colica passione, quæ à materia frigida & humida, vel à flatibus proue-

prouenit. Quæ enim causam habet vel apostema, vel acres & bilioſos humores, vel obſtructionem alui, eam aliis medicamentis rectiùs curamus. Datur ℥j calidè vel per ſe, vel cum ℥j ß aquæ ſequentis carminatiuæ.

AQUA CARMINATIVA, ſeu phyſogona, id eſt, flatus educens.

℞ *Flor. Chamomillæ Romanæ* M ɣɣɣ. *incidantur & contundantur, & infundantur in aquæ chamomillæ lib.* ɣvj. *& ſtent in digeſtione in loco calido per octiduum, deindè colentur et prælo fortißimè exprimantur, in colatura iterum infundantur Flor. Chamomillæ inciſorum & contuſorum* M ɣɣiiij, *& ſtent in infuſione in loco calido per octiduum; poſtea colentur atq; prælo fortißimè exprimantur; in colatura iterum infundantur, inciſis tamen & pulueriza-tis, incidendis & pulueriza ndis.*

Flor. Chamomillæ Romanæ M ɣij
flauedinis Cort. exterior. aurantior. ℥j ß
Herb. abſynthij pontici M j

Centaurij minoris
Pulegij
Origani ana M ß
Semin. anethi ʒ iiij
aniſi
Fœniculi ana ʒ ij
Carui ʒ j
Carduibenedicti ʒ ß
Cardui Mariæ ʒ j ß

Et ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, deinde deſtillentur in organis vitreis in Balneo Mariæ igne lentiſſimo.

¶ Diſcutit flatus & lenit dolores ventriculi & inteſtinorum, & eſt medicamentum veré anodynum, & tuto exhiberi poteſt etiam in morbis calidis, ſi attemperetur cum ʒ j aq. frigidæ, Endiuiæ videlicet, vel Epaticæ frigidæ, vel cordialis frigidæ, pro diuerſitate morbi præſentis calidi. Datur ab ʒ ij ad ʒ iij.

AQUA DYSENTERICA.

℞ *Radi. Biſtortæ*
Symphyti maioris
Tormentillæ ana ʒ j

Gen-

Gentianæ ʒ ij
Pimpinellæ
Zeduariæ
Enulæ. ana ʒ j.
corticum thuris
corticum mali citri ana ʒ j ß
Maceris
Malicorij ana ʒ ij
Herb. Burſæ paſtoris
Pentaphylli cum radicib.
Millefolij
Anſerinæ
Abſynthij pontici
Mentæ criſpæ ana M j
Semin. Coriandri præparati
Papaueris albi
Aniſi
Cymini
ſpyllij
acetoſæ
plantaginis
Endiuiæ
Lapatij acuti ana ʒ j
Flor. roſar. rubrar. M iij
maluæ arboreſcentis

Verbasci
Chamomillæ ana M j
Summit. anethi M ß
Nucis muscat. ʒ iij
Macis
Caryophyllor. ana ʒ j
Ligni aloës ʒ ß
Succi prunorum sylvestrium inspissati
ʒ ʒ j
Lapidis Hæmatitidis ʒ j
Terræ sigillatæ Silesiacæ
Cornu cervi usti præparat. ana ʒ ij
Pulverizanda pulverizentur subtilissimè: Herbæ verò & flores incidantur minutim, & infundantur in
Aquæ folior. quercuum
Tormentillæ ana lib. iij.
Plantaginis
Equiseti
Rosarum
Bursæ pastoris ana lib. j
Stent in infusione in loco calido per octiduum, vase benè munito, & quotidiè aliquoties moto; deindè destillentur in Balneo Mariæ igne lentissimo.

Vteba-

¶ Vtebamur hac aqua in Dyſenteria maligna, contagioſa, & peſtilentiali, quæ Anno 1599. ferè totam Europam inuaſit, & quàm plurimis exitio fuit. Propinabamus, euacuato corpore per ſyrupum dyſentericũ, (cujus infra faciemus mentionem) ℥ iij vel per ſe, vel cum ſyrupi Myrtini compoſiti, vel miuæ cytoniorum ſimplicis ℥ ß. vel præſcribebamus hanc emulſionem pro tribus vicibus.

℞ Amygdalarum dulcium excort. ℥ j ß
Seminis papaueris albi ℥ ij
Aq. dyſentericæ ℥ x.

Miſce, & fiat l. a. emulſio, cui, ſi dulcia æger ferre poterit, addatur Manus Chriſti perlatæ ℥ ß. Eſt autem huius aquæ uſus, non tantum in Dyſenteria Epidemiali, verùm etiam in omni morbo qui aliqua eget aſtrictione, ſiue hæmorrhagia narium, ſiue nimius fluxus hæmorrhoidum, ſiue menſium fuerit; præſertim ſi cum aqua appropriata ad locum affectum dirigatur.

AQUA EPATICA
frigida.

℞ *Radicis Cichorij* ℥ iij
Plantaginis
Bugloſſæ ana ℥ j
aſari
Fœniculi ana ʒ j ß
Herb. Endiuiæ M vij
Taraxici M iij
Abſynthij Romani
Agrimoniæ ana M ß
Carduibenedicti
Centaurij minoris ana M j
Semin. 4. frigidor. maior. excort. ana ℥ iij
4. frigidor. minor. ana ʒ j ß
Florum Roſar. rubrar. M iij
Epaticæ M j
Borraginis M ß
Santali albi
Citrini
Rubei ana ℥ ß
Xyloaloës ʒ j
Spicæ Indicæ ℈ iiij
Rhabarb. electi ʒ ij

Epatis

Epatis lupi præparati ʒ iij
Puluerizanda puluerizentur subtilißimè; reliqua verò incidantur minutißimè, & infundantur in
Aquæ Endiuiæ lib. vij
Taraxici lib. iij
Abſynthij
Agrimoniæ
Epaticæ ana lib. ſ.
Stent in infuſione in loco calido per octiduum, vaſe quotidiè aliquoties moto, deinde
Succi depurati Citri (*adde*
Limoniorum ana lib. ß
Granator. dulcium
acidorum ana lib. ſ
Miſce, & deſtillentur in Balneo Mariæ igne lentißimo.

¶ Omnem calidam Epatis, atq; etiã ventriculi δυσκρασίαν attemperat, eiusque exiles venas, ab infarctu & humorum illuvie præpeditas liberat, ita tamen ut Epatis robur conſeruet & augeat. Tutiſſimus ac feliciſſimus huius aquæ uſus eſt, in febribus ardentibus, atq; omni tertiana. Datur ab ʒ ij ad ʒ iij

AQUA EPATICA
calida.

℞ *Radic. Curcumæ* ℥ j
Cichorij
Apij
Asparagi
Fœniculi ana ℥ ß
Calami aromatici veri ʒ ij
Costi amari candidi aromatici
ʒ vj
Herb. Eupatorij Mesuæ
Agrimoniæ ana M iij
Absynthij romani
Centaurij minor.
Fumar. ana M ij
Summit. Lupuli M j
Semin. anisi ʒ iij
ammeos
Dauci ana ʒ j
Cucurbit. excort. ʒ j ß
Flor. Epaticæ M j
Rosar. rubrar. M j ß
Borraginis
Bugloß. ana M ß

Rhabar-

Rhabarbari electi ℥ ß
Caßiæ ligneæ veræ
Cinnamomi ana ʒ j ß
Schœnanthi ʒ j
Spicæ Indicæ ϑ iiij
Specier. Diarhodon Abbat. ʒ iij
Trochiſ. de Roſis
de Rhabar.
de Eupatorio ana ℥ ß
Pulueriz anda pulueriz entur ſubtiliſimè; Herbæ verò & flores incidantur minutim, & infundantur in
Vini maluatici optimi lib. viij
& ſtent in infuſione in loco calido per ſextiduum, vaſe quotidiè aliquoties moto; deinde adde
Mellis paſſularum ℥ viij
Aq. Endiuiæ
Cichorij ana lib. ij ß
Agrimoniæ
Cardui Mariæ ana lib. ß
Cardui benedicti
Abſynthij ana lib. j.
Miſc. & deſtillentur in balneo Mariæ igne lentiſimo.

¶ Morbis Epatis frigidis, ejusque obstructionibus, cacochymiæ pituitosæ, humores crassos, lentos ac viscosos in epate collectos attenuando, incidendo, & detergendo, eparq; confortando auxilio est. Dantur ℥ ij, cum ℥ j Aq. Endiuiæ.

AQUA HYDROPICA.

℞ *Radicis Vincetoxici*
Fraxini
Asparagi
Rubiæ tinctorum
Acori veri ana ℥ ß
Costi candidi aromatici amari
Sarsaparillæ ana ℥ j
Cort. Radic. Capparis
Tamarisci ana ʒ iij
Ebuli ℥ ij ß
Sambuci ℥ j ß
Herbar. *cuscutæ*
Eupatorij
Scolopend. ana M ß.
Semin. *4. frigidor. maior. excort.*
4. frigidor. minor. ana ʒ ij.
Fœniculi ap*ij*

apij
Halicacabi ana ℥ iij
Summit. Herb. Epaticæ
Agrimoniæ ana M j
Centaurij minoris.
Flor. Sambuci ana M ß
Cantharid. integrarum ℥ ß
Epatis Lupi præparati ℥ j
Schœnanthi ℥ ß
Herbæ & flores incidantur, reliqua verò pulueriz entur ſubtiliſſimè, miſceantur, &
Specier. Diacurcumæ ℥ j (adde
Diarhod. Abbat. ℥ ß
Trochiſ. de Roſis
de Rhabarbaro ana ℥ j
de Eupatorio
de Abſynthio ana ℥ ß
de Capparibus ℥ ij
Miſce, & infundantur in vini maluatici optimi lib. vj.
Aq. Flor. Sambuci
Ebuli ana lib. j
Scorbuticæ noſtræ lib. ß
Nephrocatharticæ noſtræ
Cinnamomi ana ℥ j
& adde

& adde

Succi radicis Ireos nostratis ℥ viij
Succi Herb. Nicotianæ inspissati ℥ iij
vel liquidioris lib. ß
Mellis passular. Corinthiac. ℥ v
Rob. acinorum Sambuci ℥ iij
Aceti Scyllitici ℥ ij

Misc. & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase singulis diebus aliquoties agitato, deindè destillentur in Balneo Mariæ igne lentissimo, & aquæ destillatæ adde

Salis absynthij ʒ vj

Misce.

¶ Frigidum Epar calefacit, eiusque obstructiones liberat, & materiam hydropis partim absumit, partim ad vias urinæ deriuat, & facultates Epatis conseruat, & auget. Est proprium hydropicorum remedium. Datur singulis diebus jejuno ventriculo ab ℥j ad ℥ j ß vel per se, vel cum Aq. Cichorij & aquæ agrimoniæ ana ℥ ß.

AQUA

AQUA SPLENETICA.

℞ *Radic. polypodij quercini mundi* ʒ j ß
Apij ʒ vj
Bugloſſæ
Aſari ana ʒ iij
Ariſtolochiæ rotundæ ʒ ß
Rubiæ tinctorum ʒ ij
Acori veri ʒ j
cort. radic. capparis ʒ iij
Cort. thamariſci ʒ j ß
Herb. *Caſſuthæ*
Scolopendrij
Fumariæ
Meliſſæ ana M ij
Centaurij minoris M j ß
Epithymi M j
Semin. *4. frigidor. maior. excort. ana* ʒ j
aniſi ʒ v
Florum cordialium ana M j ß
Lupi Salictarij M j
Pulueriz anda pulueriz entur ſubtiliſſimè; reliqua verò incidantur & contundantur, & infundantur in

Aq. Caſ-

Aq. Cassuthæ
Borraginis
Bugloſſæ ana lib. ij.
Meliſſæ lib. j
Vini maluatici optimi lib. ß
& ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, vaſe quotidiè aliquoties moto, deindè deſtillentur igne lentiſſimo.

¶ Craſſum terrenumque ſuccum melancholicum in Liene, ac venis meſeraicis collectum attenuat, emollit, & futuræ euacuationi præparat, lienē ab obſtructione vindicat, tumentemq; ſoluit, melancholiæ hypochondriacæ, & febribus quartanis maxime conducit. Datur ab ℥ ij ad ℥ iij vel per ſe, vel cum ℥ ß ſyrupi de ſucco Violarum.

AQUA FUMARIÆ compoſita.

℞ *Radicum Glycyrrhizæ raſæ ℥ ß*
Polypodij quercini mundi ℥ vij
Herb. Abſynthij Romani
Caſſuthæ ana ℥ j
Epithymi ℥ vij

Flor.

Flor. Borraginis
Bugloß.
Violarum ana ℥ j
Roſar. ℥ ß
Myrobalanor. chebulorum
citrinorum ana ℥ ij
Prunorum Vngaricor. enucleator.
Paſſular. maiorum enucleat. ana lib. ß
Pulpæ Caßiæ fiſtulæ
Tamarindorum ana ℥ ij
Puluerizanda puluerizentur ſubtiliſſimè, reliqua verò incidantur & contundantur, & miſceantur & infundantur in
Aquæ fumariæ lib. vij
& ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, vaſe quotidiè exagitato, deinde adde
Succi Fumariæ depurati lib. iij
& deſtillentur in balneo Mariæ igne lentiſſimo.

¶ Hæc aqua ex iiſdem ingredientibus compoſita eſt, ex quibus confici ſolet Syrupus Fumariæ maior Meſuæ. Vires ergò huius aquæ vide in Diſpenſatorio Valerii Cordi, quæ Syrupo Fumariæ maiori aſſcriptæ ſunt. Doſis autẽ Aquæ Fumariæ compoſitæ eſt ℥ iij. Aq. ſalso vt

AQUA SCORBUTICA.

℞ *Radicis Raphani sylueſtris acerrimi lib.* iiij
Polypodij quercini mundi ℥ j ß
Cort. radic. capparis ℥ ß
Seminis Fæniculi ℥ j
Cardamomi ℥ ij
Croci orientalis ℥ j

Radices Raphani incidantur in orbiculos tenuiſſimos; reliqua verò puluerizentur ſubtiliſſimè, & ſimul infundantur in vini Rhenani albi lib. xvj. *& ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, vaſe quotidiè ſemel atque iterum exagitato; deinde adde*

Aquæ Cochleariæ
Becabungæ
Naſturtij aquatici ana lib. j ß
Chamedrios veræ
Fumariæ compoſit. ana lib. j
Seri lactis caprini lib. j ß

Miſce, & deſtillentur in balneo Mariæ igne lentiſſimo.

¶ Valet propriè ad affectum Scorbuticum, his maritimis & aquiloniis regio-
Scorbutus vel Scorbut, est morbus ginguarum carnis dolabilis, ac ossium quasi compagis solutio. Vnzer.
Endemij sunt morbi patrij, vernaculi, regionis seu populo alicui communis & familiaris.

regionibus propter parentum propagationem, ob victus rationem, & propter contagium Endemium. Liberat enim obstructiones Lienis, emollit, & attenuat humorem feculentum melancholicum, eumque per meatus conuenientes sensim euacuat, & Lienem roborat. Datur aliquot continuis diebus, pro morbi magnitudine, & ægri natura ℥ iij per se, vel ℥ ij cum aquæ Splenetice ℥ j

AQUA NEPHROCAthartica.

℞ *Radic. Pimpinellæ* ℥ ß
Asparagi
Fœniculi
Petroselini
Ruscì ana ℥ ij
Cort. aurantiorum ℥ j
Semin. anisi
Carui
Vrticæ ana ℥ j ß
Raphani maioris
Milij Solis

Saxi-

Saxifragæ ana ℥ iij
4. frigidor. maiorum excort. ana ℥ j
Granorum Iuniperi recent. ℥ j ß
Rhabarbari electi ℥ j
Agarici trochiſcati ℈ iiij
Zinziberis
Cinnamomi
Galangæ
Gummi arabici ana ℥ ß
Macis ℥ j
Caßiæ ligneæ veræ ℥ iij
Florum geniſtæ
Ononidis ana M ß
Mithridatij optimi ℥ iij
Succi glycyrrhizæ ℥ j ß
Specier. Lithontrib. ℥ ß
Electuarij Ducis
Iuſtini ana ℥ ij
Diatragacanthi frigidi ℥ ij ß
Throchiſcor. Alkekengi ſine opio ℥ ij
Puluerizanda puluerizentur ſubtiliſſimè & fiat puluis, & infundatur per octiduu: in

Vini Rhenani uſti lib. iij
Vini maluatici optimi lib. viij
& adde

Su

Succi Limoniorum lib. ℔ß
Syrupi de papauere compos. ℥ iiij
Misce & destillentur in Balneo Mariæ igne lentissimo.

¶ Attenuando, incidendo & detergendo urinam movet, renes, ureteres, & Vesicam ab infarctu liberat, calculum comminuit, & educit, stranguriæ, dysuriæ, & dolorib. nephriticis succurrit. Datur ℥ j cum ℥ j aquæ fragorum absq; vino distillatæ, & si libuerit, addi potest ℥ ß syrupi de succo Limoniorum, vel de succo Violarum.

AQUA ARTEMISIÆ
composita.

℞ *Radicis Apij*
Asparagi
Costi amari candidi aromatici
Cyperi
Enulæ
Fœniculi
Ireos
Petroselini
Pimpinellæ

Pæoniæ

Pœoniæ
Rubiæ tinctorum
Ruſci ana ℥ ij
aſari
Pyrethri
Valerianæ ana ℥ ij
Herb. Artemiſiæ M iiij
Betonicæ
Bugloſſæ
Calamenth.
Centaurij minor.
Dictamni cretici
Hyperici
Iuæ artheticæ
Maioranæ
Matricariæ
Meliſſæ
Origani
Perſicariæ
Pulegij
Rutæ
Sauenæ ana M ij
Semin. aniſi
apij
Liuiſtici

Nigellæ

Nigellæ
Petroſelini
Cardamomi
Cubebarum
Calami aromatici veri
Caſſiæ ligneæ veræ
Baccar. Iuniperi ana ℥ j

Radices & ſemina & aromata pulueri-zentur ſubtiliſſimè; reliqua verò incidantur & contundantur, & infundantur in

Vini albi Rhenani lib. iiij
Aquæ artemiſiæ
matricariæ
meliſſæ
Saluiæ minoris ana lib. iij

& ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, vaſe quotidiè ſemel atq; iterum moto, deinde deſtillentur in Balneo Mariæ igne lentiſſimo.

¶ Corrigit intemperiem frigidam & humidam matricis, & menſes provocat. Conſtat ex iiſdem ſimplicibus, ex quibus conficitur ſyrupus de Artemiſia Matthæi de Gradibus; pro-

proinde & eius vires perfectè æmulatur. Datur euacuato corpore ℥ ij.

AQUA HYSTERICA.

℞ *Radicis Pœoniæ Maris & Sole in piscibus & Luna decrescente lectæ* ℥ vj
Zeduariæ ℥ ij
flauedin. cort. mali citri ℥ j ℈
cort radic. Capparis ℥ v
Herbar. Maioranæ
Artemisiæ
Melissæ ana M ij
Semin. Rutæ
Carui ana M ij
Pœoniæ excortic.
Cymini ana ℥ j
Dauci ℥ ℈
Agnicasti
Nigellæ ana ℥ vj
Plantaginis
Fœniculi
aniſi ana ℥ iij
Cardamomi ℥ ij
Baccarum lauri ℥ ℈
Flor. Cordialium

Betonicæ

Betonicæ
Saluiæ minoris ana M j
Croci orientalis ʒ j
Cassiæ ligneæ veræ ʒ ß
Zinziberis ʒ j
Macis ʒ iij
Nucis muscatæ ʒ ß
Galangæ ʒ v
Cinnamomi electi ʒ j ß
Agarici trochiscati ʒ iij

Herbæ & flores incidantur, reliqua verò pulueriz entur subtilissimè, & adde

Specier. aromatici rosati sine moscho
Rosatæ Nouellæ ana ʒ j
Diamoschu dulcis
De Gemmis calidi
Lætitiæ Galeni ana ʒ ij
Diatrionsantalon ʒ iij
Pulueris Antepileptici nostri ʒ iij
Trochiscor. de Capparibus ʒ v
Mithridat. optimi ʒ vj

Misce, & infundantur simul in vini Rhenani albi optimi, & vini malvatici optimi ana lib. vj ß

Aq. Artemisiæ composit. lib. ß
Spleneticæ ℥ iij
& stent in infusione in loco calido per octiduum, deinde adde
Syrupi de calamenth. ℥ ij
Miuæ Cytonior. aromat. ℥ iiij
& destillentur in alembico vitreo igne lentissimo, mediante Balneo Mariæ: Aquæ destillatæ adde
Aquæ Antepilepticæ aureæ ℥ iiij
Manus Christi perlatæ ℥ ij
Misce

¶ Est medicina saluberrima viduarum & virginum monialium, quæ ex suffocatione matricis, ut plurimùm ob spermatis retentionem laborant. Abscindit enim huius ferociſſimi affectus causam, & atrociſſima, & ferè incredibilia eiusdem symptomata mitigat. Datur ℥ j in ipso paroxysmo; gratiâ autẽ præseruandi exhibetur quaternis diebus, vel etiam singulis quadris Lunæ, vel post menstrui sanguinis euacuationem, pro diuersa affectus necessitate ℥ ß, cum ℥ ß aq. meliſſæ.

DE